



## **TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN**

### **A.1421 BOCHOLTA IN OPPIDO VESTFALICO LATINE SCRIPTUM**

*Textus, qui sequitur, originaliter anno 1421 litteris cursivis inscriptus est chartae pergamenae. Anno 1983 mandatu Doctoris Ernesti Duve Hammaburgensis litteras, quae non ita faciles lectu sunt, explicavi textumque theodisce reddidi. Idem textus est testamentum vīri cuiusdam nomine Reyneri Berlbyn anno 1421 in Vestfaliâ scriptum. Ex eodem apparet, illâ aetate qualis fuerit usus Latinitatis officialis. Formae verborum, quae differunt ab aureâ Latinitate, in adnotationibus explicabuntur. Numeri uncinis inclusi spectant ad lineas originales chartae pergamenae.*

(1) In nomine Domini Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo vicesimo primo indictione quarta decima die vero (?) vicesima octava mensis septembris hor(arum)(2) primarum vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nomine Martini divina providencia pape Quinti anno quarto in mei notarii publici testiumque infrascriptorum(3) ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia personaliter constitutus discretus v(ir) n(omine) R e y n e r u s B e r l b y n opidanus opidi nostri B o c h o l t monasteriensis diocesis Ammadu'tens ut asseruit(4) quod vite sue terminum quisque penitus ignorat quodque nihil cercius morte nihilque incercius hora eiusdem existit consideransque eciam et perpendens salubrem ammonicionem prophete(5) dicentis: Dispose domui tue, quia morieris -

Ea propter prefatus Reynerus sanus ut asseruit ac eciam apparuit Deo gratia mentis et corporis atque suorum sensuum bene compos et racio-(6)-num nolens ab hac luce intestatus decedere quinimo et pocius de bonis quibuscumque sibi a deo collatis per modum sui testamenti seu juris codicillorum aut alterius voluntatis sue(7) ultime cuiuscumque disponere omnibus melioribus modo via jure causa et forma, quibus melius et efficacius potuit atque debuit suum Testamentum seu ultimam voluntatem post ipsius tamen(8) obitum et non ante exequendum fecit condidit statuit et expressit atque ordinavit in modum qui sequitur videlicet.

In primis enim animam suam postquam ipsam a corpore suo emigrare contigerit,(9) omnipotenti deo creatori suo ac beate Marie semper virgini totique celesti curie humiliter recommendavit et recommendat corpusque suum ecclesiastice tradendum sepulturae. (10) Exequias insuper suas voluit fieri decenter.

De bonis suis magis prompcioribus et mobilibus per ipsum dimittendis quemadmodum tamen executoribus suis infrascriptis visum (11) fuerit expedire.

Item cum ipse ut asseruit, nonnulla in diversis locis habeat animalia videlicet apes oves boves porcos ac alia eciam pecora, voluit quod fructus seu(12) proventus qui ipsis animalibus viventibus ab eisdem annuatim provenire contigerint dividerentur in tres partes:

de una tertia parte proventuum vult quod fiant semper per prefatos executores suos seu (13) subdeputandos ab eisdem clementissime seu distributiones inter veros pauperes pro tempore prefati opidi Bocholt vulgariter nuncupatos ‚dye huesarmen’.